



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Bononius Abb. 30. Augusti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

30. Aug. VITÆ SANCTORVM. 425
 saltu leviculo terram plausisset, ecce tibi præmium
 pedes caput maximi vatis JOANNIS abstulerunt.
 Nec satis erat, per mensam tam delicatum fercu-
 lum ambulare, & oculorum gulæ facere satis. Ex-
 traxit conjux adultera palato suo linguam (illam
 gratissimam Siuadæ sedem) & mille nunc convitiis,
 nunc acu mille locis fodit scelesta. Sed profectò
 pessimè acu rem tetigit. Nunquam enim magis
 viva etiam crudelitatem Regis, quam tunc fuit
 locuta, & meritò deinde divinum VERBVM loqui
 tyranno renuit, cujus vocem decollaverat. Ipsa
 saltatricula pœnas si seras, serias certè luit, quando
 astrictas gelu aquas transiens, ruptâ sub pedibus
 impiis glacie, abscindendum crustis caput dedit,
 etiam tunc portentosum in modum subsiliens, &
 choreas, quibus viva assueverat, mortua etiam
 continuans, manifestum omnibus mortalibus do-
 cumentum, quam non multo saltu opus sit, ut in
 orcum devolvamur. At dicet nonnemo, ergo ne
 odiosam pede calcare terram non liceat? immo verò
 calcanda illa est, & pede utroque, sed graviore, &
 cui cælum non orcus arrideat. Ex Bar. & Martyrol.

Si Ioannes stantis, Ioannes talis, tantâ eremo separa-
 tus à feminis, feminarum pericula non evasit, quis est
 qui inter feminas vivens evasurum se sine labore
 maximo, maximâ sine cautione confidit, nisi qui sancto
 datur spiritu? S. Chrysol. serm. 2. de Decoll. S. Joann.

S. BONONIUS ABB. 30. Augusti.

Optima Philosophiæ pars est mortis medita-
 tio; hæc BONONIVM puerum mundo mori-
 docuit, quâ quidem morte ad vitam nihil est sa-
 lubrius. Hinc Ægypti deserta petiit tantamque
 sanctorum civium frequentiam invexit, ut in
 solitu-

solitudinem urbes, in urbes solitudinem diceret migrasse. Ipse totam Ægyptum concionabundus obibat, Christoq; longè plurimos jungebat, mercatores præsertim, quibus tempestate aliquando jactatis post preces fusas solem & cum sole fidei lucem ostendit. Ob id cùm Alexandriæ in summo honore jam esset, iterum Ægypti intima petiit. Hic illi tectum cælum, cubile terra, culcitra cili-
cium, cervical lapis fuit. Huic etiam invigilabat potius quàm indormiebat; quò mollius tamen ja-
ceret, lectulum hunc suum lacrimis quotidie la-
vabat. Verùm è privato hoc pulvere extractus in
arenam à Petro Vercellensi Antistite, cui una cum
pluribus aliis capto libertatem apud barbarum
Regem exoraverat, Cœnobitis Lacedensibus præ-
esse iussus est, dum vitâ simul & munere est fun-
eris. Porrò quem ad geniculari ad tumulum Divi
cernis, fratrnæ cædis reus est. Hunc cùm suppli-
cem Sacerdos quidem, sed non conscientia absolu-
veret, annos plures à domesticis furiis agitatus
malaciam tandem animo apud cineres BONONII
reperit. Veniam nuntiarunt ruptæ ultrò manicæ,
quas reus ipse dextro & cædis auctori brachio in-
duxerat. Hæ nunc licet è ferro sint, an non pul-
chrius tamè suspensa tumulo BONONIVM ornant,
quàm Manlianî, quos olim abjecerat, torques fa-
cturi fuissent? Ex Gabr. Paleoto.

*Licet cecideris, licet fueris in scelera devolutus, vide
ne desperes; remansit tibi unde piissimo satisfasias cre-
ditori. Absolvit vis? ama. Charitas cooperiet multitudi-
nem peccatorum. S. Petr. Chrysol. Serm. 94.*

S. AIDANUS E P. 31. Augusti.

Hic ille AIDANVS est Lindisfarnensis Ponti-
fex, quem ad Angliæ regnum Christo subjic-
tiendum